Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1005
Quelle:
Copyright:

bus. petrus. iohannes. iudas. ſeptem epiſtolas. ediderunt &c. Sequitur peculiaris *Prologus* in Epiſt. *Jacobi*, qui ſic ſonat: *Jacobus apoſtolus ſanctum inſtruit clerum, de cultura cęleſtium præceptorum. et regula catholicæ obſeruantiæ. et de inuictæ patientiæ maieſtate. Et de reuelatione plurimorum: et de mendacio magiſtrorum.* Dein: *Incipit paſſio iacobi apoſtoli*, quae nil eſt aliud, quam C. 2. *Hieronymi de Viris Illuſtr.* Contuli cum edit. *Fabricii* et *Vallarſii*, et praeter leviora menda inveni *Joſippus* pro *Hegeſippus*, *huic ſollicitum erat* pro *ſoli licitum*, *enarrare* pro *enumerare*, *iudæam gerebat* pro *regebat*, *biberat calicem Dominus* pro *Domini*, quas duas ultimas lectiones vix non editis praehabeo. *Fol.* 123. *Incipit Prologus de epiſtula petri apoſtoli.* Hic tenor: *Diſcipulos ſaluatoris inuicti toto orbe diffuſos. et peregrinos in hoc ſęculo monſtrat. Et præteritę uitę peniteri ſuadet. et in nouam uitam proficere tota cum ſollicitudine exortatur.* Subjicitur ſtatim: *Simon petrus. filius iohannis prouincię galilee. uico bethſaida. frater andreę apoſtoli*, quae ſunt prima verba C. 1. *Hieronymi de Viris illuſt.* et nihil ultra. Textus ipſe in *primo* C. V. *verſu* deficit. Verſio in omnibus his *tribus* ſacris Libris vulgata eſt, character titulorum et ſubſcriptionum quadratus miniatus, diſtributio Capitum ab hodierna diverſa.

III. *fol.* 129. *Interpretationes et expoſitiones vocabulorum ſiue locorum veteris ac noui teſtamenti.* Titulus hic manu, ut videtur, *Sec.* XIV. impoſitus eſt; deficit enim initium hujus Gloſſae, primaque nobis interpretatio eſt vocis *Ibex* ex L. I. *Samuel.* c. 24. quae ſic incipit — — — *auium. ardua et excelſa teneant et in ſublimi habitent. Ita ut de ſublimitate uix humanis obtutibus pateant. Hæc animalia in petris altiſſimis commorantur et ſi quando ferarum uel hominum aduerſitatem perſenſerunt. de altiſſimis ſaxorum cacuminibus ſe præcipitantes. in ſuis ſe cornibus inleſa ſuſcipiunt.* Reliqua, quae usque ad hujus *L.* finem exponuntur, ſunt: *Clamis*, *Ora*, *Culex*, *Singultus*, *Scrupulus*, *Sciphus*, *Perdix*, *Faſciculus*, *Python*, *Aſtarath.* Ad hunc modum ſequuntur Interpretationes: *De Parte II. Samuelis*, *de Libris Regum*, *de Prophetis* majoribus et minoribus, *de Libris Job*, *Pſalmorum*, *Salomonis*, *Paralipomenon*, *Machabaeorum*, *de IV. Evangeliis*, *Actibus Apoſt.* in quibus ultima vox eſt C. XXVII. v. 17. *Syrtis*, quae ſic exponitur: *barenoſa in mari magno loca. multum terribilia et metuenda. eo quod ad ſe omnia diripere ſoleant et adpropinquanti uadoſo mari hereant, hæc autem ad mare ægipti uicine ſunt et pariter admiſcentur* &c. Quisquis *Gloſſator* hic fuerit, neque enim *Walafridus Strabus* eſt, dolendum foret, quod ejus initium et finis e *Codice* hoc deperierit, niſi Codex LXIV. aliud perfectius Exemplar ſubpeditaret. Et literae plerumque inſiſtit, et naturalis Hiſtoriae, profanaeque